



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| VINCENTII|| BRVNI, SOCIE-||TATIS IESV,|| BREVIS  
TRACTATVS|| DE SACRAMENTO|| POENITENTIAE,**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniæ Agrippinæ, 1598**

**VD16 B 8664**

Qvando Confessio sit nulla & iteranda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59993](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-59993)

Deniq; etiamsi peccare die festo non sit circumstantia necessario confenda, tamen si quis in præcipuo aliquo festo, ut in die paschæ, die Veneris sancto vel eo tempore, quo homo à Deo singulare aliquod recepit beneficium enorme aliquod scelus patraret, securius videtur si talis circumstantia, quæ valde aggrauat peccatum aperiatur.

**QVANDO CONFESSIO  
sit nulla & iteranda.**

**P**RIMVS Casus est, Defectus Examinis, quando Pœnitens multis grauatus peccatis, & multo tempore non confessus, ante confessionem conscientiam suam non examinavit, nec aliquod studium adhibuit reuocandis in memoriam peccatis. Quo casu si Confessarius non supplet defectum Pœnitentis, Confessio nulla est: nam necessario aliquod peccatum, quod memoriæ non occurrit, prætermittet, quod perinde est, ac si ex industria prætermisisset.

**S**ECUNDVS est, quando Pœnitens in materia peccati mortalis in Confessione mentitur.

**T**ERTIVS, quando studio omittit peccatum aliquod mortale, vel quod iudi-

## 20 DE SACRAMENTO

iudicabat esse mortale: nam si non iudicasset esse mortale, sed post confessionem intellexisset esse mortale, tum fatis esset illud separatim confiteri, non repetita tota confessione priore.

**Q V A R T V S**, quando pœnitens non habet firmum propositum relinquendi aliquid peccatum mortale, vel occasionem illius peccati, in quo se esse deprehendebat.

**Q V I N T V S**, quando Pœnitens incurrit Excommunicationem, idq; sciens, non tamen curasset se prius ab Excommunicatione absolui.

**S E X T V S**, quando Confessarius est imperitus, & Pœnitens rationem bene confitendi ignorat, & cum sciat Confessarium esse imperitū & inidoneum, tamen vult ei confiteri. Verisimile est hoc casu multos errores committi, quorum ratio habenda erat.

**S E P T I M V S**, quando Confessarius non habet potestatem absoluendi, vel quia caret iurisdictione, vel certe, quia est publicè excommunicatus, idq; Pœnitens non ignoraret.

**I N** his omnibus casibus Pœnitens nō solum tenetur de novo iterate confessionem, sed etiam propter contumeliam, quam male confitendo intulit

Sacra-

Sacramento, commisit sacrilegium,  
quod est peccatum grauissimum.

SEQVITVR EXAMEN IN  
Præcepta Decalogi, in quibus compre-  
hensæ sunt alia omnes materiæ, in  
quibus potest peccari mor-  
taliter.

Circa primum Præceptum, quod est Cole-  
re Deum super omnia.

**C**IRCA Fidem. An crediderit o-  
mnia, qnæ S. Romana Ecclesia cre-  
dit, vel certe habuerit opinionem in  
aliqua re fidei Romanæ contrariam.  
An verbis vel signis externis infidelita-  
tem aliquam vel hæresin prodiderit,  
vel probarit.

An fuerit nimium curiosus, in inue-  
stigandis rebus fidei, & an de aliquo  
fidei articulo dubitauerit?

An apud se habuerit, vel legerit libros  
hæreticorum, aliosuc libros ab Eccle-  
sia prohibitos?

An sciuerit orationes, aliaque neces-  
saria, quæ quisque Christianus scire  
tenetur, ut sunt mandata D E I, Domi-  
nica oratio, Credo, & mysteria princi-  
palia fidei?

An